



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Vindex Libertatis Ecclesiasticae || Et Martyr || S.
Engelbertvs || Archiepiscopus Co-||loniensis Princeps ||
Elector, &c.**

Gelenius, Aegidius

Coloniae Agrippinae, 1633

Caput Secundum. De puero contracto qui nuncupato voto sanatus fuit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9728

Notatio ad Caput Primum.

§. Glibach.

Glimbach. **G**libach seu Glimbach pa-
 gus est Ducibus Iuliae subie-
 ctus ubi nobile iacet & vetus do-
 micilium familiae ab Horrich.
 Horrich.
 zu Glim-
 bach.

§. Putant simplices
Laici.

Vota sub
 dio. Emissiones votorum sub dio
 ut efficaciora sint in doctioribus
 & astutis, superstitionis argui
 possent, in simplicibus iudicandae sunt ex illo S. Matth. 6.
 Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum
 erit.

§. Nudis pedibus.

Vota nudis
 pedibus. Viget etiam apud rudem plebeculam mos ille vouendi,
 Ich globe ohn Willen vnd Barsussig.

§. Custodi Ecclesiae.

Gosvvinus
 Thesaura-
 rius. Custodem hunc Ecclesiae nominat Gosvvinum hoc in
 capite manuscripto, forsitan idem, quem auctor in praefat.
 lib. 3. venerabilem virum Ecclesiae B. Petri hoc est Metro-
 politanae, Canonicum vocat.

Caput Secundum.

De puero contracto qui nuncupato voto sanatus fuit.

IN cœnobio Heisterbacensi puer annorum quatuordecim, in domo
 hospitali fuit ad eum contractus, ut ne ventrem quidem exonerare pos-
 set, nisi alienis pedibus deportatus. Eius pater, qui erat ex Conuersis il-
 lius monasterij, ubi audiuit de miraculis Episcopi, ait ad eum: Fili, cum
 solus fueris, fac votum sancto Engelberto. Obtemperat ille, reptat ma-
 nibus



A

B

C

D

nibus & pedibus, donec esset sub dio, ibique vouet martyri cereum suæ
A staturæ, itemque imaginem ceream. Eadem hora, ut in orantis fide ap-
 pareret martyris meritum, puer cœpit esse meliusculus, redit ad lectu-
 lum commodiùs, quàm indè exierat: ait patri, si adessent duo scipiones,
 videri sibi se posse ingredi, iam beati Engelberti meritis adiutum. Pa-
 rantur scipiones, puer graditur, mirantur omnes. Iam ante ductus fue-
 rat à patre suo Nouesium ad sanctum Quirinum, sed ille hanc curatio-
 nem in nouum martyrem reiecit. Postea venit puer Coloniam, inuisit
 sepulchrum martyris, obtulit quæ vouerat, post preces totus incolu-
 mis, scipionibus illic relictis, postredie ad nos reuersus est pedibus suis.
B Audiant hæc martyris obrectatores, qui aiunt: Si videremus ciues no-
 stros, quos nouimus diu malè habuisse, ab illo curari, crederemus ei.
 Sed illi vel non sunt digni curari ob fidei inopiam, vel eis non expedit
 ut curentur: aut certè qui sic dicunt, digni non sunt videre miracula
 martyris. Nec ipse Dei filius omnes Iudææ morbidos curare voluit: imò
 scriptum est de illo, quòd quibusdam locis non fecerit virtutes multas
 propter incredulitatem illorum. Porro in edendis miraculis, & fides pe-
 tentium, & sanctorum merita requiruntur: quanquàm non rarò Deus
 etiam ingratiss & indignis sua præstat beneficia.

Puer con-
 tractus,
 nuncupato
 voto fit sa-
 nus.

Matt. 13.

C

Notatio ad Caput secundum.

§. Puer annorum quatuordecim.

PVERO isti in manuscriptis dicitur fuisse nomen Al-
 bertus.

§. Fili cum solus fueris.

D In manuscripto sic habetur. *Fili quando solus es in gramen do-
 mui contiguum quocunque modo venire satagas, ibique votum S. EN-
 GELBERTO facias, fortè ut cæteris sic & tibi succurreret, obediens
 filius patri manibus genibusq; reptando venit in gramen, in quo orans
 imaginem ceream & sua longitudinis candelam martyri vouit.*

§. Sed ille hanc curationem in nouum
 Martyrem reiecit.

B b 2

In ma-